



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

rectè componant cum hac libertatis definitione libertatem à necessitate; quando voluntas est prædeterminata ad consensum, neque consensus est separabilis à prædeterminatione; at tamen ipsi concedunt id rectè componi, eo quòd prædeterminatio non sit requisita ad posse, sed ad agere, ideoque habeat posse proximum ad utrumque. Quod explicant exemplo illo plausibili, consentientis actu voluntatis. Sicut enim voluntas, ajunt, in sensu composito consensus retinet cum illo conjunctam potestatem dissentendi, sed non dissentendi compositivè cum consensu, id est componendo consensum cum dissensu, sed dissentendi divisivè à consensu, quæ vocatur similitas potestatis in voluntate instructa ad consentiendum, & non consentiendum; non verò potestas similitatis: ita ajunt voluntas prædeterminata ad consensum retinet libertatem ad dissensum, quatenus habet similitatem potestatis, quamvis non habeat potestatem similitatis, quo fit, ut maneat libera in sensu diviso, non autem in sensu composito.

272. Neque aliud est discrimen, inquit Godoi, in exemplo de consensu, & physica præmovere, nisi quòd in casu consensu ille sensus divinus est exclusivus, quia fieri potest à voluntate dissensus excludendo consensum, quod evenit, quando uterque terminus horum sensuum cadit in dominium voluntatis. In casu autem prædeterminationis sensus ille divinus est unice præcisivus; nam à voluntate fieri potest dissensus, non ut exclusivus prædeterminationis, cum prædeterminationem nequeat excludere, sed præcisivus, sive secundum se, præexcludente Deo prædeterminationem. Hæc enim doctrina, licet nobis nequaquam placeat, nec cum principiis nostris comprobabilis sit, est tamen comprobabilis cum principiis fidei, & cum definitione libertatis ab omnibus admittitur. Ad eum quippe modum, quo doctrinæ S. Thomæ, & Scoti adductæ num. 94. licet inter se non sint comprobabiles, sunt tamen comprobabiles cum primis naturæ principiis, quæ uterque admittit; simulque cum illis conclusionem suam defendit; atqui adversarius doctrinam suam nequaquam defendit compossibilem cum definitione libertatis ab omnibus scholis supra tradita; ergo ad suam sententiam defendendam immerito confugit ad doctrinam Thomistarum.

273. Contrà 3. Adversarius non admittit gratiã intrinsicè sufficientem componibilem cum actu, tum cum omissione actus, quæ deserviat ad posse, atque constituat voluntatem in actu primo ad utrumque expeditam, potentem agere, & non agere, sed solum admittit gratiam intrinsicè efficacem, potentem componi solum cum actu, ad quem deservit, & non cum omissione talis actus: atqui Thomistæ ultra gratiam intrinsicè efficacem, & prædeterminantem admittunt gratiam sufficientem constituentem posse ad utrumque, atque reddentem volun-

tatem in actu primo, ut ajunt, ad utrumque expeditam, & constituentem similitatem potestatis, quamvis non constituat potestatem similitatis ex num. 271. Ergo Doctrina adversarii valde distincta est à Thomistarum doctrina. Contrà 4. Quia hæretici ab Ecclesia damnati nunquam negarunt, quòd voluntas, quæ cum iis determinationis principiis elicit actum, ablati istis actum non eliceret, sed emitteret: atqui illi destruebant libertatem, quæ Ecclesia Catholica definit; ergo doctrina adversarii non rectè componitur cum doctrina Catholica de libertate; quam Ecclesia definit.

SECTIO III.

Solvuntur opposita.

Obj. 1. Ut actus sit liber, satis est, quòd sit voluntarius, sive quòd procedat à voluntate, quæ voluntas est: atqui ut sit voluntarius, sive ut procedat à voluntate, quæ voluntas est, non indiget potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, & non agere; ergo ut actus sit liber, ac proinde & sit libera potentia, à qua actus procedit, non requiritur, quòd sit potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, & non agere. Probat. maj. Ut actus sit liber, satis est, quòd censetur imputabilis agenti suo creato vel ad laudem, & mericum, vel ad vituperium, & peccatum; sed ad hoc sufficit, quòd sit voluntarius, sive, quòd procedat à voluntate, quæ voluntas est; ergo &c. Probat. Minor ex Plat. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi*, id est, *libere*, teste Ambrosio secundo de fide cap. 3. ad Hebr. 10. *Voluntarie peccantibus* &c. Secundo, Machab. 1. *Ut faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volente*. Quibus frequentissima sunt alia similia testimonia in Scripturis: sed in istis, ut actus sit agenti suo creato imputabilis vel ad laudem, vel ad vituperium, satis est, quòd sit voluntarius, sive quòd procedat à voluntate, ut voluntas est; ergo &c.

Confirm. ex SS. Patribus, Damascen. lib. 2. cap. 24. ait: *Quod spontè fit, laudem & vituperationem comitem habet*. Quod etiam habet Nissen. lib. 1. Phil. cap. 1. & 3. ubi libedit: *Voluntarium, & involuntarium in eis, que in potestate nostra sunt, consistunt*. Augustinus lib. de Natura. Et Gratia cap. 26. cum objecisset, voluntatis arbitrio privari omnes, qui naturali necessitate constringitur, respondet *absurdè hoc dici; quia non privatur voluntate propter hujusmodi necessitatem*. Ex quo sentire videtur, solum voluntarium, etiam si non opponatur necessario, esse liberum ea libertate, quæ ad peccandum sufficit; atque idem sentit in Enchirid. cap. 105. Ubi habet illam vulgarem sententiam. *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est*. Quod

Quod etiam habet lib. 5. de Civit. c. 23. & 30. lib. de Duab. Anim. contra Manich. c. 10. lib. 1. Reract. c. 15. Ubi voluntarium dicit esse, *Animi motum cogente nullo*. Statimque subdit ferè idem de libero. Idem sentit Anselmus lib. de Lib. Arb. ubi ad libertatem non requirit indifferentiam, sed potestatem volendi rectitudinem ipsam propter se. Bernardus etiam lib. de Gratia, & Lib. Arb. docet: *Voluntarium esse motum liberum*. Et serm. 81. in Cant. *Quod voluntarie fit, etiamsi ex necessitate fiat, liberum est*. Atqui in iis testimoniis non requiritur ad libertatem potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, & non agere; ergo &c.

276. Resp. neg. maj. ad probationem conc. maj. & neg. min. ad probationem neg. etiam min. Ratio est, quia in illis testimoniis adductis voluntarium sumitur pro libero, nam ut ait Ex. Doct. disp. 1. sect. 3. n. 25. In homine viatore voluntarium perfectum, sive ex perfectione cognitionis, & liberum se aut semper, aut ferè semper comitantur in omni actu: exindeque fit tum in Scriptura, tum in PP. quòd voluntarium perfectum viatoris indifferenter vocetur liberum, & è contrario. Qua de causa D. Thomas 1. 2. q. 6. Voluntarium perfectum explicat per potestatem operandi, & non operandi; & loquitur de homine liberè agente, quatenus per actus suos in beatitudinem tendit. Unde cum tale voluntarium procedat à potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, & non agere, quid mirum, quòd etiam sit, & vocetur liberum? Exinde

277. Ad confirmationem conc. maj. & neg. min. Quia in illis PP. testimoniis sermo est de voluntate viatoris operante, atque de voluntario elicitò ex perfectione cognitionis, repræsentantis bonum, & malum, in quod voluntas potest pro libito suo tendere, amplectendò unum, & relinquendò alterum: quo tendit imputabiliter vel ad laudem, vel ad vituperium, ut ajebat Damascenus: atque tendit in actum pro libito, & potestate sua, ut ajebat Nilfenus, sicque tendit voluntas cogente nullo; id est nullo determinante, aut impellente, sed ipsa se determinat pro libito suo, ut Augustinus in secundo testimonio docebat. Si autem ab alio determinetur, tunc actus voluntatis, quo voluntas vult, aut non vult, solum erit liber à coactione, non verò à necessitate. Quo in sensu intelligendù sunt Bernardus, Anselmus, & in primo suo testimonio Augustinus. Hæc autem sola libertas non sufficit ad meritum, vel demeritum, ut contra Jansenium damnatum est ab Innoc. X. & Alex. VII. ex n. 257. Qui quidem damnationis sensus longè abest à doctrina horum SS. PP. qui & facile, & rectè explicantur modo à nobis exposito.

278. Objic. 2. Ex D. Thoma in 2. dist. 40. q. 1. art. 1. dicente: *Actus sunt in genere moris ex hoc, quid sunt voluntarii*; ergo sunt liberi, quin procedant à potentia expedita ad utrumque, sive, quæ positis omnibus ad agendum

dum requisitis, possit agere, & non agere. Conf. ex eodem D. Thoma quæst. 19. de Veritat. art. 6. & in 3. sent. q. 1. dist. 28. art. 2. ad 2. & in resp. ad 5. ubi ait: *Etiam si liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum numerò, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui Dominus*. Ergo ad libertatem sufficientem ad meritum, non requiritur in sententia D. Thomæ libertas indifferentiæ, sive potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, & non agere.

279. Resp. conc. ant. & neg. conseq. Quia in eo testimonio D. Thomas sumit pro more suo voluntarium pro libero, modo, quo semper aut ferè semper contingit in viatore eliciente voluntarium ex perfectione cognitionis. Quando autem D. Thomas vult contradistinguere voluntarium à libero, satis superque se explicat tum in 2. dist. 34. quæst. 3. art. 3. ubi ait: *Ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur*: tum 1. Part. q. 82. art. 1. ad 3. *Sumus Domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc, vel illud agere*. Et 1. 2. quæst. 1. art. 3. *Idem sunt actus morales, & actus humani*. Præmiserat eadem quæst. 1. art. 1. *Ille ergo actus proprie humana dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt, id est ex indifferentia ad utrumque*. Tum etiam quæst. 6. de malo art. un. *Quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogereretur*. Non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cuius principium est extra: unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti &c. Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non possit. Est etiam adnumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philosophia consistit. Hæc D. Thomas. Vide, quàm clarè D. Thomas nostram de libertate definitionem illustraverit.

280. Ad confirm. conc. ant. & neg. conf. Quia in sententia D. Th. quamvis Christus esset determinatus ad unum, nimirum ad bonum in genere, libertatem nihilominus ad indifferentiam habebat in ordine ad majorè, vel minorem actus intensionem. Proindeq; quando ex sua libertate potens elicere actum minus intensum, v. g. ut unum, elicere magis intensum, v. g. ut octo, per illam liberam intensionem merebatur.

Tum etiam erat indifferens ad extensionem. Poterat enim amare vel solum DEUM, vel etiam creaturam quam salvare, & redimere volebat propter Deum. Qua de causa merebatur ratione actus eliciti in ordine ad objectum bonum, quod complectebatur, potens pro libito suo hic, & nunc illud non amplecti. Quod autem hæc sit vera mens D. Thomæ, exinde manifestè patet; quia alioquin sibi apertè contradiceret, ac destrueret primam responsionem, quam ibidem præmittit. In ea enim asserit Christo convenire libertatem ad meritum necessariam; quia, licet determinatus sit ad bonum in genere, libertatem nihilominus, ac indifferenciam habet circa varia specie, ac numero bona. En' ejus verba. *Dicendum, quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum.* Quam solutionem clarioribus verbis expressit 3. Part. quæst. 18. art. 4. ad 3. ubi ait: *dicendum, quod voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum; non tamen est determinata ad hoc, vel ad illud bonum; & ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono.* Quæ sanè verba pro confirmatione nostræ expositionis clariora esse non poterant. Unde, quando in testimonio ab adversariis adducto, ait D. Thomas, Christum esse liberum in ordine ad bonum, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, ibi sumit spontaneum pro libero modo, quo sæpè loquitur D. Thomas, & diximus à num. 276. Quod manifestè patet ex verbis, quæ in eodem textu immediatè subjungit, dicens: *Et ita est actus sui Dominus.*

281. **Objic. 3.** Amor beatificus est liber, & affert moralitatem, sive bonitatem moralem, ac laudabilitatem agenti suo imputabilem: atqui non procedit à potentia, quæ positus omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere: Beati enim ex prævia Dei visione intuitiva Deum amant, quantum possunt, nec amorem illum possunt omittere; ergo ad libertatem sufficientem ad laudabilitatem, & meritum non requiritur libertas, quæ sit potentia, quæ positus omnibus ad agendum requisitis, possit agere, & non agere; ac proinde non rectè definitur à nobis libertas. **Conf. 1.** Amor Dei in patria tendit in idem objectum, in quod amor Dei tendit in via; atqui amor Dei in via est liber, atque ad laudabilitatem agenti suo imputabilis; ergo etiam amor Dei in patria. **Conf. 2.** Amor Dei in patria facit hominem perfectum, sanctum, & moraliter bonum; non minus, quam amor Dei in via; ergo non minus est imputabilis ad laudabilitatem agenti suo, quam amor viæ. **Conf. 3.** Si amor beatificus non afferret laudabilitatem agenti suo, careret aliqua perfectione, quam habet amor viæ; sed hoc dici non potest; aliter esset minus perfectus, quam amor viæ; ergo &c.

282. **Resp. dist. maj.** ad laudabilitatem purè objectivam, conc. formalem, neg. maj. & concessa

min. neg. conseq. Ratio est, quia laudabilitas formalis consistit in eo, quòd agens ex intrinseca natura sua bonitatem formalis actus essentialiter exigat; ex qua exigentia actus ipsi personæ tribuatur modo, quo actus necessarii Dei sunt laudabiles formaliter Deo; quia ex intrinseca natura sua eam laudabilitatem essentialiter exigat, ratione cujus exigentia revera Deo imputatur, quo in sensu respectu Christi aliqui actus necessarii possunt etiam esse formaliter aliquo modo laudabiles, licet non possint esse meritorii, ut loco suo dicemus. Vel si natura agentis, eam formalem actus bonitatem essentialiter non exigat, requiritur ad laudabilitatem formalem, quòd eam per jus suæ libertatis obtineat; cum autem naturæ Beatorum, neque conveniat elicere liberè illum amorem, neque natura Beatorum exigat essentialiter illum, ea de causa amor Beatificus non affert laudabilitatem formalem beatis; proindeq; affert solum objectivam consistentem in eo, quòd actus formalis profectivus erga illam beatitudinem sit consentaneus naturæ rationali, ut rationali. Exinde

Ad primam confirmationem dist. maj. Tendent in idem objectum eodem modo, neg. diverso modo, conc. maj. & concessa min. neg. conseq. Quia ad formalem laudabilitatem, vel vituperium non sufficit tendentia in idem objectum, sed requiritur tendentia ex jure naturæ, vel libertatis: actus autem amoris Dei in via, licet non tendat in Deum ex jure naturæ creatæ, tendit tamen ex jure creatæ libertatis: amor verò beatificus neque ex jure naturæ creatæ Beatorum, neque ex jure libertatis tendit; unde non tendit eodem modo: proinde nulla est paritatis ratio. Sic motus primò primi & actus deliberati tendunt in idem objectum malum; & tamen, licet actus deliberati sint formaliter imputabiles ad vituperium, & peccatum, motus primò primi neque sunt formaliter imputabiles ad vituperium, neque ad peccatum. Ad primam confirmationem dist. ant. Non minus & eodem modo, neg. & diverso modo, conc. ant. & neg. consequentiam. Quia respectu viatoris sunt formaliter imputabiles, non autem respectu Beati, ut constat ex dictis.

Ad tertiam confirmationem retorqueo argumentum: si amor beatificus non afferret novum meritum agenti suo, careret aliqua perfectione, quam habet amor viæ: sed hoc dici non potest; ergo affert novum meritum. En conclusionem hæreticam ex ipso adversariorum ratiocinio deductam. **Resp. deinde dist. maj.** Careret aliqua perfectione non compensata per aliam, neg. compensata, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Quia amor viæ non est possessio hæreditatis propriæ filiorum Dei, neque unit ita perfectè creaturam rationalem cum Deo, ac amor beatificus, quæ quidem perfectio amoris beatifici non solum compensat, sed sumè superexcedit perfectione laudabilitatis, & meriti, quod reperiebatur in viæ; proindeque

deque manet valde perfectior amor charitatis patriæ, quam amor charitatis viæ.

285. **Objic. 4.** Augustinus in lib. operis Imper. respondens Juliano ita habet: *Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum, & malum, liber Deus non est, qui malum non potest velle: de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi justus non potest; sicine Deum laudas, Ut ei auferas libertatem?* ergo ex mente Augustini ad libertatis definitionem non pertinet duo posse velle, scilicet bonum, & malum; ergo non pertinet indifferentia ad utrumque, seu potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, & non agere. Resp. conc. ant. & dist. 1. conseq. Ex mente Augustini ad definitionem libertatis in genere, prout etiam libertatem Dei complectitur, non pertinet posse velle bonum, & malum, conc. ad definitionem libertatis, quæ soli homini competit ad merendum, ac demerendum capaci non pertinet posse velle bonum, & malum, neg. hanc, & secundam consequentiam. Ratio est, quia Pelagiani, contra quos hic agit Augustinus, in eo errabant, quod malè, & bene agendi indifferentiam ad libertatem in genere postularent, quod est sacrilegum, cum sic à Deo, qui malum velle non potest, libertas auferatur. De reliquo nunquam Augustino de humanæ libertatis notione cum Pelagianis certamen fuit, sed in eundem utrique convenerunt, ut fateretur Augustinus lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 3. per hæc verba: *Apertè pronunciat liberum in hominibus esse arbitrium, utriusque dicimus &c. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operiaris proprium crimen.* Ubi fateretur Augustinus de libero arbitrio hominis commune sibi esse dogma cum Pelagianis. Et certè dogma definitionis nostræ, utpote ex ipso naturæ lumine notum, nunquam Pelagiani negarunt, licet ex viribus naturæ libertatem habitam ad ea, quæ sunt supra naturam, perversè extenderent.

286. Dogma equidem definitionis nostræ multis in locis supponitur ab Augustino, præsertim lib. de Fide contra Manich. cap. 10. *Quis non clamat stultum præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum damnare eum, cui non fuit potestas iussa complere?* Et in lib. de duabus animabus cap. 11. *Nec hi liberi obscuri scrutandi mihi erant, ut dicerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in Theatris Poeta, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Tum etiam Hieronymus lib. 2. contra Jovin. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Pariter Euseb. lib. 6. de Præp. c. 5. *Sublatò liberò arbitriò jacebit omnis Philosophia,*

phæa, jacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus fructus laboris, nec puniendi improbi, nec admirandi studiosi, inutiles prorsus leges, vane exhortationes, cassæ objurcationes, nullum meritum, nulla merces, nec virtus erit, nec vitium, si non voluntate, sed necessitate factorum opera nostra fiant.

Objic. 5. Si libertas à necessitate definienda foret potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, & non agere, non conveniret omni libero, id est secundo libero egenti prædeterminatione divina: atqui secundo libero egenti prædeterminatione divina convenit definitio libertatis; ergo &c. **Conf. 1.** Definitiones debent assumi in sensu prudenter indubitabili: atqui dubitant de nostro sensu Sapientissimi Auctores, id est Thomistæ; ergo nostra definitio non est admitenda. **Conf. 2.** Notio liberi arbitrii agnita est à Calvino, & Janenio: sed isti negarunt nostram definitionem; ergo nostra definitio non affert notionem libertatis, ac proinde rejicienda, & efformanda est altera, in qua conveniamus omnes Catholicis.

Resp. dist. maj. Non conveniret secundo libero in sententia negante prædeterminationem, neg. in sententia concedente prædeterminationem, subdistinguo; juxta illos, qui docent, voluntatem prædeterminatam esse potentiam, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, adhuc potest agere, & non agere, neg. in sententia eorum, qui docent, prædeterminationem evertere talem potentiam, conc. maj. & dist. pariter min. neg. conf. Quamobrem adversarius, qui ita arguit, explicet, quamnam sententiam admittat, dum admittit prædeterminationem, an nimirum illam, quæ docet, prædeterminationem stare cum libertate? Si ita sit, admitteret definitionem nostram: an verò illam, quæ docet, prædeterminationem non stare cum libertate à necessitate; & sic negabit definitionem nostram, & admitteret definitionem Janenii dicentis, ad merendum, & demerendum, non requiri libertatem à necessitate, sed sufficere, libertatem à coactione; quæ quidem opinatio est jam dampnata ex num. 257.

Ad primam confirmationem dist. maj. In sensu prudenter indubitabili ab iis, qui attendendò ad testimonia Scripturæ, Conciliorum, & PP. atq; ad Pontificias definitiones, consent, non posse aliter stare libertatem, conc. ab iis, qui ita non consent, neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ratio est, quia illi, qui ex allatis testimoniis, & rationibus consent, non posse aliter libertatem à necessitate conciliari cum illis veritatibus definitis, imprudenter se gererent, si aliter libertatem definirent, quam nos definivimus; quod sufficit ut nõ possint hanc nostram definitionem prudenter negare. Quòd autem alii dubitent, aut censeant, posse ea testimonia verè conciliari aliter definiendò libertatem, ipsi viderint: ad nos non attinet judicare, an prudenter, vel imprudenter

ter se gerant. Certè Jansenius, cum dicebat ad merendum, vel demerendum non requiri libertatem à necessitate, elatis vocibus absque dubio jactabat se prudenter gerere in sua assertione. Quænam autem ea prudentia fuerit, definiunt postea Innoc. X. & Alex. VII. eam sententiam damnantes.

290. Ad secundam confirmationem dist. maj. Agnita fuit, & admissa, neg. & rejecta ab ipsis, conc. maj. & conc. min. neg. conseq. Quia, licet Jansenius, & Calvinus agnoverint, quid intelligerent Catholici nomine libertatis à necessitate, noluerunt admittere ad merendum, & demerendum requisitam; ideoque aliam libertatem excogitauerunt, atque secundum illam definitionem, suam composuerunt. Quapropter, quod illi definitionem nostram negaverint, potius favet nobis, quam officiat, ut censeamus definitionem libertatis à nobis traditam verissimam esse. Quare valde miror, quod adversarius ausus fuerit ad hoc fundamentum recurrere.

291. Objic. 6. Præcisè per componere cum requisitis ad agendum potestatem non agendi differt causa necessaria; ergo sola compositio potestatum sufficit ad libertatem à necessitate. Conf. adducendò exemplum Petri prædeterminati ad consensum cum potestate dissensûs; quo in casu vel consensus est liber, vel non: si primum, habetur intentum. Si secundum, exclamat primò citatus Recentior, cur ita? Si consentit potens dissentire, si velit? Quid amplius petit Tridentinum? Secundò. Cur ita? Si nulla intervenit necessitas simplex? ergo actus ille manet liber. Resp. neg. ant. Quia, si ea compositio potestatum solum includat potestatem proximam ad unum extremum, & re-

motam ad alterum, qua pro libito voluntati fieri nequeat proxima, ut adversarius intendit, ea compositio non est potestas libera, qua voluntas pro jure arbitrii sui possit omittere, si velit, sed tantum pro jure arbitrii alterius dantis, quod necesse est ad omittendum, atque ad volendum omittere. In illo namque casu voluntas non distinguitur à causa necessitate causa enim necessitata comprehendit non solum illam, quæ constituit non potest libera ad agendum, sed etiam illam, quæ alioquin poterat constitui libera ad agendum, licet modo necessitetur ad unum præ altero libertatis extremo. Ad confirmationem dico, in eo casu consensum non esse liberum: neque posse voluntatem ita instructam pro jure arbitrii sui dissentire, ac proinde non habet, quod requirit Tridentinum ad libertatem: ut satis constat ex dictis à n. 256. Et diximus etiam in Tract. de Deo à n. 585. Et iterum dicemus in Tract. de Gratia. Quapropter de essentia voluntatis solum est libertas remota, consistens in virtute, quæ positis omnibus ad agendum, & non agendum requisitis, fieri proxima, & libera à necessitate. Ex quo conceptu satis distinguitur voluntas à causa, quæ fieri nequit proxime libera. At ex eo non distinguitur per se intrinsecam suam potestatem à causa, quæ hic, & nunc non est proxime libera à necessitate. Sic materia prima ligni ex eo, quod possit constituere cum forma rationali essentialiter hominem, satis distinguitur ab accidente non potente constituere essentialiter hominem; at ex eo non distinguitur à virtute hic,

& nunc non constituente hominem.

* * * * *

DISPUTATIO IX.

AN LIBERTAS IN ACTU PRIMO EX PRÆSIDIO SCIENTIÆ MEDIÆ CONSTITUI POSSIT PER HABITUM GRATIÆ ESSENTIALITER CUM PECCATO INCOMPOSSIBILEM.

292. Potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, & non agere, considerari potest vel in actu primo ad utrumque expedita; quo in sensu vocatur libertas in actu primo, vel considerari potest, quando suam liberam operationem exercet, consensum v. g. eliciendò præ dissensu, actum bonum præ malo; quo in sensu ea libera operatio elicitur vocatur libertas in actu secundo, sive quod idem est, actus secundus libertatis. Agimus modò de libertate in actu primo, acturi postea de libertate in actu secundo. Libertatem in actu primo stare non posse cum physica prædeterminatione per se ad operationem requisitam, constat satis ex tractatu de Deo à num. 585. Et constat in tractatu de Gratia, quando de gratia intrinsecè efficaci nobis erit sermo. Superest mo-

dò difficultas non modica inter Recentiores, an nimirum gratia habitualis, qua homo iustificatur, possit constituere libertatem in actu primo, si sit principium per se requisitum ad eliciendum actum sub gravi præceptum pro instanti determinato, simulque sit ea gratia incompossibilis essentialiter cum peccato: ita, ut nec divinitus possit cum illo in eodem subjecto componi? Pro cujus resolutione sit

SECTIO I.

De sensu presentis controversiæ.

Sensus presentis controversiæ facile cognoscitur ex ratione dubitandi, quam sic propono. Si gratia essentialiter incompossibilis cum peccato influeret effectivè tanquam principium